

ipius umbrâ colluctatur, vel etiâ disputat de asini umbrâ, ut de re nihili. Quâ de re est apud Plutarchum, hanc in sententiam. Adolescens æstatis tempore asinū mercede conduixerat, ut eo ab urbe (Athenis) Megaram proficisciens uteretur. Porrò meridiè, cùm Sol acriter æstuaret, & conductor & locator cupiebat sub asini umbram succedere. Verùm alter alterum arcebat: cùm hic diceret, asinum conductum esse, non umbram: rursus alter qui conduxerat, se plenum habere jus responderet. Huc etiam pertinet proverbium, *de fumo disceptare*. Sed multi sunt nimium delicati, qui quamvis fermè subtilitatem damnant titulo curiositatis. Quare ne erres, nota illam regulam: *Themata non sunt proponenda, quae nec scienti prosunt, nec ignorantibus nocent.*

Fallacia circa thematis species est vel circa thema verbale, vel circa reale.

Fallacia circa thema verbale est, quæ in verbis consistit. Aliâs dicitur fallacia dictiōnis, item fallacia verbalis.

Hæc vulgò traduntur in doctrinâ de paralogismo seu syllogismo sophistico, contra legem methodi, quæ jubet, ut generalia generaliter doceantur.

Estq; vel fallacia obscuritatis, vel ambiguitatis.

Fallacia obscuritatis est, cùm vel vox aliqua simplex, vel integra phrasis est obscura.

Eaq; oritur vel ex insolentiâ & vetustate, vel ex novitate, vel ex improprietate vocum.

*Ex insolentiâ*; qualis est in vocabulo *meriti*, apud Patres orthodoxos, cui Papistæ affingunt novam significationē. Patres siquidem *mereri* accipiūt pro *consequi*, quando loquuntur de vitâ eternâ. *Ex novitate*; qualis est in vocibus quibusdam docendi discendiq; causâ excogitatis. *Ex improprietate*; qualis est in multis vocabulis tropicis.

Fallacia ambiguitatis est, cùm vox aliqua est ambigua.

Estque vel homonymiæ, vel amphiboliæ.

Fallacia homonymiæ est, cùm vox aliqua simplex est ambigua.

Kk 4